

DISSERTATIO PNEVMMATICO-MORALIS
DE
CONNEXIONE
FIDEI HUMANÆ,
CUM
ACTIONIBUS HOMINIS
TAM INTERNIS, QUAM EXTERNIS,

QUAM
AUSPICE DEO,
ET
CONSENSU ATQUE AUCTORITATE FACULTATIS
PHILOSOPHICÆ,
IN ACADEMIA LIPSIENSI,
PUBLICO AC PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI
D. XIV. APRILIS M DCC XXVIII.

SUBJICIUNT

PRÆSES

M. HENRICUS MIELACK
GUBENENSIS,

ET

RESPONDENS

MARTINUS KATZER,
OEHNA-LUSAT. SS. TH. STUD.

LIPSIÆ,

LITERIS CHRISTOPHORI ZUNKELII.

a. LXXVIII. 28.

*44.
Z. IX. 27*

M. W. 16.

Coll. diss. A
78, 28

DISSERTATIO PNEVMATICO-MORALIS
DE
COMNEXIONE

FIDELI HUMANAE

CUM

ACTIONIBUS HOMINIS

TAM INTERNIS QUAM EXTERNIS

QUAM

ASPICIT DEO

ET

CONSENSU ACADEMIAE ORIENTALIS FACULTATIS



IN ACADEMIA LIPSIS

PUBLICO AC PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

A. M. MDCCLXXXIII

SCRIPTUM

PER

M. HENRICUS MIELACK

GRUBENHEIM

ET

ASSORDANS

MARTINUS KATZER

OLIMARUM ST. TH. STUD.

LIPSIÆ

EMILII CHRISTOPHORI BUNKEII



PARS I.

Sistens Terminorum Explicationem.

CAPUT I.

Ostendens, quid sit fides.

§. 1.



Connexionem inter fidem humanam & actiones hominis tam internas quam externas nobis ostensuris, ante omnia Termini explicandi veniunt, dicendumque, quid per fidem, quid per actiones hominis intelligamus; quid sit connexio, quotuplici ratione res sint connexæ, & quale sit istud vinculum, quo fides & actiones sunt constrictæ.

§. 2.

Ut de fide incipiamus, illa nobis est *assensus, Propositioni prebitus ab alio prolata, cujus veritatem ratiocinatione, aut experientia nostra ipsi non deprehendimus, sed ab alio deprehensam credimus.* Sic definit fidem, *Job. Clericus Log. P. II. Cap. X. §. 2. p. 106.* Ad eundem fere modum illam describit etiam celeberrimus *Buddæus*, quando eam verisimilitudinem esse dixit, alienâ nitentem auctoritate, *Philos. Instr. T. I. p. 147.* Ita omnino est; quotiescunque credimus, Propositionem aliquam pro vera habemus propter auctoritatem dicentis, sive propter testimonium alterius. Sic nostrum fidei significatum facile ab aliis vocis fidei acceptionibus distingvere poterimus, quæ non sunt hujus loci e. g. quando Objecta fidei, vel principalia Religionis capita, imo ipsa

A

Reli-



Religio fidei nomine veniunt; aut quando virtus illa moralis & voluntatis per fidem indigitatur, quam Germani *die Treue* vocant; quomodo fidem servare idem est, ac stare promissis, & hominem, seu servum fidelem appellamus, qui obedientiam Domino suo præstat, & præstitam continuat, secreta heri sui non effutit, bona sibi concredita non ad exemplum istius dispensatoris injusti dissipat, & Domini salutem, si necessitas postulet, etiam cum periculo propriæ salutis & vitæ defendit: quo sensu admodum nuper Criticus quidam novator vocem fidei in novi fœderis Scriptoribus tantum non ubique accipere voluit, ut medium & ordinem, sub quo nobis æterna salus contingat, non fidem communiter sic dictam, sed obedientiam, aut fidem cum obedientia conjunctam esse evinceret; quo jure aut injuria Theologis dispiciendum relinquimus.

§. 3.

Fidem, prout à nobis sumitur, assensum esse diximus. Generale enim hoc est nomen, quo vulgo varias istas cogitationis & perceptionis mentis humanæ species & modos exprimimus, quæ res & rerum nexus, Existentiam, Essentias, Proprietates &c. perspicit, de iis judicat, affirmat vel negat, & ratiocinatur; qui cognoscendi modi pro diversitate Principii & cognoscendi fundamenti firmitatis gradu à se invicem differunt. Sic cum summa rei claritas & perspicuitas fundamentum est cognitionis meæ, assensus meus, qui inde oritur firmissimus, dici meretur *Summa Scientia*, sive *Scientia primi ordinis*; quo spectat cognitio primorum Principiorum, quod totum majus sit sua parte &c: qui cognitionis habitus, si non fallor, is est, quem Aristoteles *Intelligentiam* dixit. Si vero nuda rei introspectio non sufficit, sed majori consideratione mens opus habet, eaque adhibita insolubilem nexum inter duas res, tanquam inter *Causam & Effectum* deprehendit; assensus iste *Scientia secundi generis*, seu *Scientia proprie sic dicta* appellatur, soletque vulgo definiri, quod sit *habitus conclusionum*, seu conclusionem deducendi ex suo Principio, rem cognoscendi per suas Causas, vel Causas demonstrandi ex suo Effectu; quò spectant omnes Propositiones necessario veræ, necessitatem physicam pro fundamento agnoscentes. Proximum ab hac scientia gradum sibi vindicat assensus, qui testimonio sensuum externorum, & sensationibus internis inde ortis innititur; & qui etiam satis firmitatis habet, modo organa sensoria

rite



rite sint disposita, objectum sensibile non nimis sit remotum, nullum fallax medium inter organon & objectum interjaceat, & sensus omnes conspirent; in quibus, quoniam in vulgus nota sunt, prolixus esse nolo. Ita h. l. non examinabo, ad quam cognitionis speciem aut gradum actum hominis reflexum, sive perceptionem perceptionum nostrarum atque internas sensationes, peculiari ratione sic dictas, referre velis; mihi enim perinde erit, sive cum Cartesianis primum inter scientias eis locum vindices, sive illas cognitioni sensuum externorum cum aliis immediate præponas. Interdum vero assensus noster neque nuda rei inspectione summaque ejus perspicuitate, neque sensuum externorum testimonio, neque necessitate physica, quâ duæ Ideæ tanquam Causa & Effectus connexæ deprehenduntur, sed variis tantum rei circumstantiis atque indicijis veri nititur, & tum *opinionis* sive *probabilitatis* nomine insigniri solet. Sic ob varias rationes probabile est, nexum inter animam & corpus dari physicum, ita ut Systema influxus, prout appellari solet, Systemati occasionali Cartesianorum, & Systemati harmoniæ præstabilitæ præferri mereatur, licet nec sensibus demonstrari, nec modus hujus naturalis vinculi clare & à priori, ut loquimur, ostendi queat. Quamquam autem multæ Propositiones in sua natura tantum sint probabiles, possunt tamen circumstantiæ rei ita esse comparatæ, ut assensus meus sublimem probabilitatis gradum consequatur, scientiæ & sensationi propemodum æqualem. Ita e. g. summe probabile est, animam nostram esse immaterialem; quæ enim Proprietatibus differunt, Essentia differre constat, cum Propria Essentiam rei sequantur. Jam vero omnes Proprietates, quas mente mea de anima & materia deprehendo, à se invicem quàm maxime distant, & toto cœlo sunt diversæ. Cum tamen non totam animæ & materiæ Essentiam habeamus perspectam, sed nonnullas tantum Proprietates utriusque Substantiæ noverimus, neque certo sciamus, annon materia præter Proprietates nobis cognitæ, aliis Proprietatibus gaudeat, à nobis nondum deprehensis, & cogitationum forte & sensationum capacibus, assensus noster, quo judicamus, animam esse immaterialem, scientia apodictica in rigoroso sensu dici nequit.

§. 4.

Ad hunc assensum, qui opinio vel probabilitas appellatur, Philosophi referunt *fidem*, quæ etiam est cognitio obscura atque inevidens,



solo nimirum alterius testimonio nixa & auctoritate dicentis, quo ipso ab opinione & probabilitate distingvi solet. Perinde autem res se habet cum fide, ac cum probabilitate, ita ut, licet non nullæ Propositiones sua natura tantum sint credibiles, & solo testimonio dicentis tanquam suo cognoscendi Principio gaudentes, tot tamen credibilitatis indicia possint esse vestitæ, sive testimonium dicentis ita comparatum, & auctoritas dicentis, imo multorum dicentium tanta esse possit, ut fides mea ad scientiam quam maxime accedat, h. e. ut mens mea tum rem aliquam eadem securitate & quiete affirmare vel negare possit, quæ affirmat vel negat infallibilia & apodictica, & quæ sub scientiam cadunt. Fide tantum cognosco, urbem illam, quæ Norinberga dicitur, existere, assensu tamen adeo firmo & tuto, ut non firmior sit in rebus, quæ ad manus sunt, & oculari inspectioni subjectæ. Hinc est quod Theologi etiam divinæ Christianorum fidei *certitudinem* adferibant, quam Pontificii, utpote Aristotelici, non nisi scientiarum esse affectionem, clamant, Christianis & piis *spem tantum firmam*, & fiduciam suæ salutis concedentes. Vulgus etiam, quod imperium in voces habet, ob eandem rationem sæpissime fidem cum scientia confundere solet, & quod sua natura credi tantum potest, se certissime illud scire gloriatur. Et probabile est etiam, Scriptores sacros voces *fidei, scientiæ & certitudinis* non in sensu Aristotelicorum, pro quibus certe non scribebant, sed eo sensu ut plurimum sumsisse, quo sensu tunc accipi à vulgo solebant. Sic *Paulus Thessalonicenses* propriæ suæ salutis certiores redditurus dicit: *se scire, illos esse electos*. 1. Thess. 1, 4. Sane, *credi* hoc poterat & *sperari* ab Apostolo, non vero *sciri*, cum homo non sit καρδιωγνώστης: nisi ex peculiari revelatione Paulum hoc habuisse dicere velis, quanquam & tunc Apostolus revelanti *Deo tantum credidisset*.

§. 5.

Assensus, quem fidem esse diximus, iudicium est mentis nostræ, h. e. assensus & iudicium sunt Synonyma, quod in antecessum monendum censeo, cum deinde sæpissime per totam Dissertationem etiam *iudicii* voce usuri simus. Quotiescunque itaque anima veritatis alicujus fit particeps, sive ad possessionem alicujus veritatis pervenit, ita ut veritatem habere, fovere & possidere dici queat; assentitur, h. e. iudicat, affirmat vel negat, ea, quæ vel sensibus, vel intellectu
per-

☼ ☼ ☼

f

percipit, re vera ita esse, prout percepit & sensit: vel, ut clarius lo-
quar, statuit perceptiones, sensationes & intellectiones suas, quas de
rebus ac Objectis impressas accepit, esse rebus extra se conformes, vel
non conformes. Si hæc paulo obscuriora videntur, simili aliquo fa-
cile poterunt illustrari. Objice rem aliquam speculo; in speculo red-
detur & exhibebitur imago, seu Idea rei objectæ. Certum est, ima-
ginem in speculo vel ex æsse Objecto esse conformem, vel non confor-
mem, h. e. repræsentationem esse vel veram vel falsam. Sed hucus-
que adhuc nemo possidet, neque errorem neque veritatem. Finge
vero te accedere ad speculum & considerare & Objectum imprimens
& imaginem redditam, & deinceps iudicium ferre de difformitate
vel conformitate imaginis in speculo cum re objecta extra speculum;
huic iudicio tuo inerit veritas aut error. Quod si imago respondet
Objecto, & tu eam respondere asseruisti, veritatem possides; si non
respondet, & tu tamen affirmasti, in errorem incidisti. Ovum ovo
non similis est, quam hoc tuum iudicium omni assensui humano &
omnibus nostris iudiciis, quæ ferimus. Intellectus est potentia pas-
siva, instar speculi res & Objecta ab extra impressa recipiens & repræ-
sentans; libertas hominis, seu homo *liber* stat in medio, & pro liber-
tate sua, quâ uti vel abuti in rebus claris & obscuris potest, fert iudi-
cium de difformitate vel conformitate perceptionis cum Objecto im-
primente, & pro diversitate iudicii, ut in protasi hujus similis diximus,
vel veritatem possidere, vel in errore versari dicitur; ex quo appa-
ret, iudicia non tantum ad secundam, sed & ad tertiam sic dictam In-
tellectus operationem esse referenda. Quod autem & ratiocinia no-
stra sint iudicia, quæ mens de connexionem & relationem, quam duæ
Ideæ cum tertia quadam habent, ferre solet, quilibet ad se ipsum at-
tendens facile deprehendere poterit. Nam etiam cum ratiocinamur,
affirmamus vel negamus, ex una Propositione, tanquam ex Principio,
& Causa, sequi aliam tanquam conclusionem & Effectum; aut certum
quendam Effectum & conclusionem hoc vel illud tanquam suam Cau-
sam & Principium præsupponere; in duabus Ideis tertiam esse inclu-
sam & comprehensam; aut, ut clarius & brevius dicam, quoties-
cunque affirmamus vel negamus, affirmamus vel negamus conse-
quentiam; *affirmare vero & negare est iudicare.*



§. 6.

Fidem per assensum descripsimus, assentiri vero est Idea simplex, imo simplicissima. In ista enim actione, qua anima mea judicat, affirmat vel negat, nullæ prorsus partes sunt conspicuæ, ita ut hic nulla compositio realis deprehendi queat; compositio autem mentalis seu rationis, qua res componi dicuntur ex Genere & Differentia, ex Existentia & Essentia &c. ne quidem nomine compositionis digna est, cum ejusmodi compositio in ipsum etiam Deum, tanquam Spiritum infinitum caderet. Assensus quidem cumulari & multiplicari, conjunctimque de eadem re ferri possunt, ut fieri solet in Propositionibus ex variis simplicibus compositis, sed quodlibet judicium in Individuo spectatum, est actio simplicissima. Si quid ergo fidem, quæ assensus est, præcedit aut sequitur; vel pro Objecto, vel pro requisito, vel pro Effectu, nullâ vero ratione pro parte fidei est habendum. e.g. Finge, filium quendam pium credere Parenti suo asserenti: Deum liberis obedientibus benefacere & largis eos maculare solere bonis; cognitio, quâ filius novit, quid sit obedire, quid sit Deus, quid sit benefacere, non est pars assensus, sed assensus materia & Objectum ejusdem. Fert enim filius judicium, beneficia Dei & liberorum obedientiam esse res connexas, & unum alterum sequi. Multo minus spes filii firma, quæ confidentia dicitur, animi quies, gaudium ejus, aut quocunque nomine affectus & motus voluntatis insignire velis, qui necessitate naturali in filio oriuntur, simulac Parenti credit, & per actum reflexum etiam suæ obedientiæ sibi est conscius, pars assensus seu fidei dici poterit. Effectus enim esse inseparabiles, ex assensu tanquam Causa necessariò fluentes, ex tota Dissertatione patebit.

§. 7.

Assensus, quem fidem humanam esse diximus, est *actio*; assentiri enim & judicare est *agere*: actio autem, ab istis actionibus in titulo Dissertationis expressis, & quas cum fide arcto vinculo connexas esse dicimus, distinctissima. Etenim actiones, quas cum fide connexas statuimus, easque tam externas quam internas veluti per concessionem & κατ' ἀνάγκην sic nominavimus. Nam, quia hæc necessarii sunt fidei Effectus, re vera non tam actiones, quam potius *motiones* physica necessitate productæ erunt dicendæ. Ut ut sit, cum actiones omnes in liberas & physicas soleamus dispescere, hoc saltem hic moneo,
actio-



actiones istas, quas titulus Dissertationis cum fide connexas esse dicit, non esse actiones *liberas*; assensus autem, de quo jam agimus, & quem fidem esse diximus, est *actio libera*. Homo enim quando credit, *libere* credit. Dum autem fidem assensum liberum & actionem liberam dicimus, non ita hæc intellecta volumus, ac si omnes assensus mentis humanæ sint liberi; namque propria experientia falsitatis & erroris convinci possemus, si hoc asserere vellemus. Qvis enim nescit animam humanam non gaudere omnimoda & absoluta libertate, licet hac facultate quam maxime Dei imaginem referat? Sic anima nostra, ut summatim & obiter hoc perstringam, non libertatem habet circa proprias sensationes ex motu organorum sensoriorum ab Objectis impresso provenientes. Penes nos neutiqvam est, qualem sensationem habere velimus tum, quando quis gladio nos vulnerat, gratam vel ingratham, doloris vel voluptatis; ex lege creatoris non possumus non doloribus affici, quoties continuum cum periculo sanitatis & vitæ in corpore nostro solvitur, in qua solutione continui *Aristoteles* dolorem situm esse asseruit. Porro non sumus liberi circa bonum & malum ratione appetitionis & averfationis, quatenus illud pro nostro bono & malo, sive præsentem sive futuro, habemus & agnoscimus; non possumus non bonum ut bonum, h. e. pro nostro bono reputatum, amare, & malum pro nostro malo habitum, quamdiu tale esse agnoscimus, non possumus non odisse & averfari; quod non tantum de bono & malo universaliter & æterno verum est, quomodo nemo appetere potest æternum esse infelicem, sed unusquisque vi naturæ suæ felicitatem in genere anhelat, sed & de bono & malo singulari. Penes me est, quale velim de libro aliquo ferre judicium, utrum sit utilis & bonus, an vero malus & non dignus lectu; lato autem judicio, non amplius sum liber, sed non possum non librum istum aut repudiare aut appetere. Libertatem sic dictam *specificationis* vulgo vindicant homini, quâ potest hoc bonum alii præferre, hunc librum alii postponere; sed intellectu est facillimum, & istam libertatem à judicio nostro, quod tulimus, & quo librum hunc isti præponendum statuimus, semper dependere. Neque est, quod objicias, res duas, e. g. duo poma interdum exactissimam inter se similitudinem habere, ut electio unius atque repudiatio alterius non ad judicium animæ sit restricta, sed nudo, eique liberrimo Voluntatis motui sit adscribenda; qui enim in hoc casu accuratius ad
suas



suas cogitationes attenderit, electionem præcedentes, facile contra-
 rium deprehendet, animadvertetque, nihilominus adfuisse aliquam
 rationem moventem, propter quam alterum pomum alteri prætule-
 rit. Deinde assensus humanus non liber est circa res summe obscu-
 ras. Quotiescunqve enim mens humana circa res magna obscuritate
 pressas versatur, non potest neqve affirmare neqve negare, sed tenetur
 necessario inter affirmationem & negationem anceps hære, fluctuare
 & iudicium suspendere. Quæras ex rustico, homine simplici ac
 omnium literarum rudi, utrum possibile sit lapidem philosophicum
 invenire, ejusqve ope plumbum & cuprum in aurum convertere, an
 vero Alchymistæ hac in re meri sint impostores, nec ullus unquam
 aurum hoc modo elaboraverit, quo se illud elaborare posse gloriantur?
 certe rusticus, quem tantum non omnia hujus rei fugiunt, ne-
 que affirmare, neqve negare poterit, sed suam necessario fateri igno-
 rantiam cogetur. Uti vero homo non habet libertatem circa res sum-
 me obscuras, ita nec circa res summe perspicuas atqve evidentes, qua-
 les prima Principia, utpote per se nota, esse, supra diximus. Circa res
 summe obscuras non potest non iudicium suspendere, & circa res
 summe claras & sole meridiano, quod dicitur, clariores, non potest
 non iudicium ferre, sed tenetur necessario vel affirmare vel negare.
 Fac aliquem saltem scire, quid sit totum, quid pars, quid magnitudo,
 quid gradus magnitudinis; physica necessitate coactus tibi concedet,
 totum esse majus sua parte; & hoc modo in aliis Principiis atqve com-
 munibus sic dictis notionibus. Dei beneficio & bonitati adscriben-
 dum est, quod quædam scibilia tanta luce radiare voluerit, ut mens
 humana assensum cohibere plane neqviret, ut sentire, imo manibus
 quasi palpare veritatem cogeretur. Nam, si secus foret, h. e. si homi-
 nes non communi quasi fonte cognitionum gauderent, ex quo omnes
 demonstrationes hauriendæ, & in quem tandem omnes conclusiones
 & conclusionum probationes iterum referendæ & reducendæ; omnia
 essent incerta, & genus humanum caliginosa nocte summaque miseria
 semper premeretur. Cumque Deus primis Principiis perspicuitatem
 & summam claritatem veluti quoddam veritatis sigillum appenderit,
 apparet, evidentiam & perspicuitatem commune veritatis esse, crite-
 rium, quoque res majori gaudent perspicuitate, eò majora & cer-
 tiora veritatis vel verisimilitudinis præ se ferre indicia. Quod, si
 quis

quis



quis in dubium vocare velit, ex ipsa praxi, imo ex propriis verbis meliora edoceri potest. Quoties enim conclusionem ex suo Principio, & hoc rursus ex alio & priori Principio, & sic porro, donec ad summum pervenerit, demonstrare compellitur, simulac se ad eas angustias redactum esse videt, ut nihil porro habeat, quod probationis loco afferre possit; quod imprimis fieri solet, si Respondens probationem etiam primi alicujus Principii sibi dari poscat, certe ultimum ejus refugium erit rei claritas: *res per se clara est, contra solem loquitur, qui hæc negat, res adeo perspicua est, ut ulteriori probatione non egeat*; quotidie hæc ex cathedris philosophicis & theologis audiuntur. Qui vero ita respondebit, ostendit eo ipso, ultimum in omnibus rebus demonstrandis medium terminum, seu cognitionis Principium, ex quo veritas cognoscatur, esse rei, & verborum, si alteri credimus, claritatem.

§. 8.

Pollet autem mens libertate circa res *quodammodo* obscuras & aliquo modo perspicuas, ita ut tum vel bene vel male libertate sua uti, & vel prudenter vel stolide judicare, h. e. affirmare vel negare possit. Sic e. g. filius, ad imitandum Patrem suum proclivis, nititur exemplo Patris, interdum per imposturam homines defraudantis, sequentemque in modum ratiocinatur: *Si Parens meus interdum defraudat homines, sequitur, quod & mihi hoc facere liceat*. Affirmat hanc consequentiam pro libertate sua, cum tamen res ipsi nondum sit summe clara atque perspecta; acquiescit in re adhuc obscura, tanquam summe perspicua. Frater ejus prudentior & nexum inter exemplum Patris & licitam fraudationem nondum perspiciens, suspendit judicium, imo cum nullum nexum videat, Consequentiam prorsus negat, & hoc itidem ex libertate. Quemadmodum anima judicare, h. e. affirmare vel negare nequit, nisi res adsint, quæ negari vel affirmari possunt, & nisi res & terminos antea bene consideraverit; ita in eo etiam haut exigua pars libertatis humanæ posita est, ut anima se possit libere ad contemplandas res convertere, Objecta suæ facultati, vel facultatem admovere Objectis, & lato de iisdem judicio, eadem libertate rursus ab Objectis se avertere, vel in totum, ut res non amplius considerare velit, vel ad certum tempus, cum res adhuc nimis obscura alio tempore accuratiorem considerationem poscere videatur. Hoc modo libertas hominis optime definiri poterit, quod sit *attributum Intellectus*



*Etus, quo potest se ad res considerandas convertere, de iisdem & earum nexu
judicare, & deinceps se rursus à consideratione earum avertere.*

§. 9.

Ejusmodi autem actiones hominis, sc. rem contemplandi, & imprimis actionem assentiendi & judicandi esse liberas, & à libertate humana provenientes, quemlibet propria experientia docere potest, si modo sollicitè ad se ipsum, eo tempore, quo judicat, attendere velit. Accedit, quod absurdissima inde consequantur, si ejusmodi actiones esse *physicas*, necessarias & non liberas asserere velimus. Fac enim hominem in ferendis judiciis & circa affirmationem vel negationem nunquam esse liberum, sed *physica* coactione & interna necessitate ad assensum vel dissensum abripi, nulli errores homini poterunt imputari, quod Indifferentistæ volunt. Ipsa incredulitas, quam ipsa Scriptura sacra pro maximo peccato & fonte omnium peccatorum venditat, non erit vitium damnabile. Porro si errores imputari nequeant, nulla quoque vitia & scelera imputari poterunt, cum omnia crimina & vitia Voluntatis ex vitiis Intellectus proficiscantur, atque vitiosa Voluntas sine vitio Intellectus non possit concipi, quod infra demonstrandum erit. Uno dicam verbo, hac sublata libertate, omnis tolleratur Religio necesse est.

§. 10.

Fides, quod diximus, est assensus, & quod bene notandum, assensus *verus, vera* Propositioni alterius dicentis præbitus; sive quod idem est, *judicium*, quod ferimus de verbis alterius, debet esse verum. Judiciis enim nostris vel verum vel falsum inest; assensus autem ille, quem mendacio, & Propositioni alterius dicentis, cui falsitas inest, præbemus, non est fides, nec fidei nomine dignus, sed purus putus error, ita ut, nisi cum vulgo loqui velimus, nunquam is credere dicendus sit, qui mendacio credit & propositioni falsæ assensum præbet. e. g. Si quis affirmet, Aristotelem in moralibus omnes reliquos Philosophos multis parasangis post se reliquisse, & tu ejus verbis assentiaris, non credis, sed in errore versaris. Sic impii, qui sine animo emendandi vitam, media inter scelera sibi Deum propitium fore statuunt, non credere, sed turpiter & enormiter errare dicendi sunt, quamvis quælibet opinio, sive vera sive falsa, sæpissime communi fidei nomine venire soleat.

§. 11.

§. 11.

Fundamentum autem seu Principium cognoscendi, quo nititur assensus meus, qui fides dicitur, est auctoritas dicentis, cum, ut supra diximus, alia veritates ita sint comparatae, ut vel nuda rei inspectione, vel testimonio sensuum internorum & externorum, vel Propositionum necessitate, vel notabilioribus rei circumstantiis ad assentiendum illis permoveamur. Non tamen ita haec capienda sunt, ac si, quotiescunque aliquid credimus, rationi nostrae ejusque usui nullus plane relinquatur locus; namque etiam, cum credimus, semper suppetunt rationes, & causae non raro admodum praegnantibus, cur fidem verbis alterius habeamus. *Fides certe non major esse potest credendi rationibus*; hinc caecam & temerariam illis tribuimus fidem, qui credunt, & nullas credendi rationes allegare possunt; quae fides, licet interdum per accidens sit assensus verus, saepissime tamen falsa persuasio erit, & manifestus error. Fides ex adverso, quae sanis & justis credendi rationibus nititur, *oculata* à Philosophis dici consuevit. Rationes autem, quae nos ad credendum movent, sunt in genere quidem dicentis auctoritas, quae tamen partim ob dicentium multitudinem, partim ob testium eruditionem, candorem & qualitatem, qua in eo, quod nobis recensent, vel ad propriam experientiam, vel ad oculorum, imo reliquorum sensuum testimonium provocant, tanta & tot notabilibus specialioribusque veritatis indiciis vestita esse potest, ut assensum in nobis producat, assensui, qui scientia dicitur, quoad firmitatem, ferme aequalem, licet sua natura à scientia differat; unde etiam est, quod fidei certos assignemus credibilitatis gradus, eamque in *firmam* & *infirmitatem* dispescere soleamus.

§. 12.

Si assensus, qui fides dicitur, nititur testimonio & auctoritate dicentis *hominis*, vocatur fides humana; quod si autem *Dei* dicentis, sive ille immediate, sive mediate per homines, quales fuerunt Scriptores sacri *θεωπνευστοι*, nobis aliquid revelet, testimonio & auctoritate ad assensum permovemur, assensus iste fides divina appellatur. Alio quidem sensu Theologi hac distinctione, qua fides in humanam & divinam dividi solet, utuntur; quando enim de assensu, quo quis Scripturam sacram pro verbo Dei habet, verba faciunt, illam fidem tantum vocant humanam, qua quis rationibus, vel à vaticiniis, vel à miraculis



culis in Scriptura sacra occurrentibus, vel ab antiquitate sacri Codicis vel rerum in eo contentarum excellentia &c. desumptis, ductus, Scripturam sacram verbum Dei esse credit; quam tamen fidem *scientiam* potius *humanam* vocare deberent, si Philosophorum & non vulgi linguam loqui vellent. Fides vero divina hoc in negotio ea demum illis est, quâ quis verborum divinorum mysteriosa vi & efficacia, quam plane divinam esse sentit, Spiritu sancto intus, modo inperscrutabili, hominem de divinitate verbi convincente, commotus, verbum Dei esse credit; quam tamen fidem potius *internam sensationem* dicendam esse putarem: hoc enim modo non credimus, sed sentimus, Scripturam sacram esse verbum Dei, aut minimum illud, quod sentimus, assensus nostri Principium constituimus, quod tamen naturæ fidei in genere videtur repugnare. Sed isthæc jam non moramur, cum in verbis nos faciles esse oporteat, quoties re ipsa convenimus. Non enim laudare possumus celeberrimum Bashuysium, virum alias omni laude dignum, aliosque de Reformatorum & Arminianorum domo, qui hanc nostrorum Theologorum opinionem Fanaticismi insimulare, imo pro Enthusiasmo nostræ Ecclesiæ venditare non verentur. vid. D. Henr. Jac. van Bayshuysen Dissertationem de rationalitate fidei Christianæ, quam recensuit D. Lœscherus im *Alten und Neuen* 1720. p. 1029. seq. Nos in præsentis per fidem humanam, eam intelligimus, quæ homini credimus, non *θεωπνεύσω*, aut saltim absque *θεωπνεύσιος* dono considerato; sive, quæ assensum præbemus Propositionibus ob testimonium & auctoritatem hominis dicentis.

§. 13.

Propositiones istæ vel veritates, quæ in Propositionibus reperiuntur, & quæ Objectum fidei sunt, sunt vel theoreticæ vel practicæ; quæ distinctio Propositionum adeo in vulgus nota, ut earundem explicatione supersedere possimus. Hoc saltem hic monere liceat, quod, cum practicarum Propositionum sit, homini vel præscribere vel prohibere actionem, illæ vel formaliter vel virtualiter sint practicæ; ad quas inter alias referas omnes promissiones & comminationes, sub conditione actionis vel omittendæ vel suscipiendæ, homini futurum aliquod malum aut bonum ob oculos ponentes aut prædicentes. e. g. Si Pater dicat ad filium: *ego omnem filium inobedientem exheredabo*; hæc Propositio formaliter quidem est theoretica, tacite tamen, implicite & vir-

& vir-



& virtualiter est practica; indirecte enim Pater à filio his verbis poscit fidem, & mediante fide obedientiam. Aut, si quis ad viatorem dicat: *Silva hæc, quam coram vides, est latronibus infesta*; Propositio hæc formaliter itidem est theoretica, virtualiter autem practica; namque hanc sub se comprehendit conclusionem practicam, ipsi viatori inde deducendam: *ergo hæc via non est calcanda, ergo via per silvam hanc non est instituenda*. Quando itaque connexionem esse inter fidem humanam & actiones hominis rubrica Dissertationis nostræ affirmat, hoc imprimis de illa fide capiendum, quæ Propositiones formaliter & virtualiter practicas pro Objecto habet. Dixi *imprimis*: nam & theoreticis Propositionibus, ubi creduntur, non omnis operatio in Voluntatem & actiones ejus, præsertim internas est deneganda. Solent enim etiam veritates theoreticæ inventæ hominem non raro, imprimis cum ad earum possessionem & cognitionem multa & operosa meditatione pervenerit, vel in admirationem conjicere, vel ingenti lætitia perfundere, ita ut non raro cum Archimede, gaudio plenus, *εὐχρησά* suum ingeminet. Plus tamen habenda ratio nobis erit veritatum practicarum credibilium & creditarum, cum illarum connexio cum actionibus longe sit arctior notabiliorque.

C A P U T II.

Ostendens, quid per actiones hominis intelligamus.

§. 1.

Actiones in generali significato non tantum sunt Effectus illius potentie & facultatis, qua ens aliquod vel aliud ens producere, vel se ipsum aut aliud ens extra se movere, & varias mutationes vel in se ipso, vel in alio ente efficere, & vel in se, vel in aliud ens agere potest; sed etiam omnes illi motus seu commotiones ab ente agente, vel libere vel necessario; excitatæ, actionum nomine intelliguntur.

§. 2.

Ad essentiam & veritatem actionis, qua unum ens ab alio produci-
tur vel movetur, non semper requiritur, ut agens ipsum moveatur; hæc enim ratione creationem mundi explicare non possemus, nisi motum in Deo ipso admitteremus, qui tamen in Deum ob ejus æternitatem nul-



lo modo cadit. Licet enim Deus, uti Theologi recte docent, ex non creatore creator factus, & sic novam ab opere creationis denominationem acceperit, non tamen propterea mutatio aut alteratio in Eo facta. Quando etiam ad actionem entis perfectissimi non requiritur, ut ens jam existat aliud, in quod agere possit; ad summam entis perfectionem & Ideam entis summe perfecti pertinet etiam hoc, ut possit ex nihilo aliquid creare.

§. 3.

Ad actionis veræ essentiam requiri videtur libertas agentis, ita ut actiones non libere, sed ab alio ente necessitate naturali productæ non tam actionum, quam passionum & motuum nomine venire debeant; quanquam hæc nemini obtrudere velimus, imo satis nobis constet, etiam passionem & naturales motus, necessitate physica productos, appellari actiones, & hinc actiones in liberas seu morales & physicas seu naturales vulgo distingvi.

§. 4.

Quando itaque sermo est de actionibus animæ nostræ humanæ, ex supra dictis patet, istas ejus actiones omnes dicendas esse maxime liberas, quibus mens nostra se vel ad Objecta convertere, vel ab Objectis se avertere, judicare vel dubitare, affirmare vel negare, rem aliquam pro bono vel malo suo habere & existimare potest. Ejusmodi actio est ipsa fidei actio, qua mens assensum præbet Propositioni ab alio prolata.

§. 5.

Quod autem attinet ad actiones in titulo Dissertationis expressas & commemoratas, ut ut etiam istæ actionum nomine insigniantur & in hac quoque Dissertatione insigniri debeant, non tamen aliud sunt, nisi motus seu commotiones, mediante libero animæ judicio excitatæ, adeoque non liberæ dicendæ, nisi tantum *mediate*, mediante nimirum judicio, quod anima de Propositione alterius tulit.

§. 6.

In internas & externas divisimus. Per internas indigitamus omnes Voluntatis commotiones, quibus mens vel averfatur malum ut malum, vel appetit bonum ut bonum; sive istæ appetitiones & averfationes sint modicæ & placidæ, & infra animam quasi subsistentes, sive sint fortiores ac vehementiores, & cum extraordinario spiri-
cuum

cuum



tuum animalium motu conjunctæ, quales commotiones vulgo affectus appellari solent. Re vera enim affectus nihil aliud sunt, nisi internæ Voluntatis actiones & vehementiores ejusdem commotiones.

§. 7.

Per externas vero actiones intelligimus illas, ad quas perficiendas homo externis corporis membris, oculo, lingua, manibus, pedibusque tanquam instrumento utitur, & quæ effectus sunt internarum actionum, ipsiusque Voluntatis. Voluntas enim est Principium actionum humanarum, & affectus sunt propter effectus homini à Deo dati, ut ope externorum membrorum malum ut malum judicatum avertere & declinare, & bonum ut bonum judicatum consequi, & ita se ipsum, vitam atque felicitatem suam conservare possit. Vulgus etiam circa has externas actiones libertate, eas vel suscipiendi vel intermittendi, putat se gaudere, quod tamen non nisi certa conditione concedi potest. Cum enim inter agendum non semper accurate ad interna sua judicia atque affectus tanquam ad suarum actionum Principia attendat, tantum non semper fieri solet, ut libertatem immediatam cum mediata confundat; hanc etenim, non illam actionibus externis tribui posse, & ex supra dictis liquet, & ex infra dicendis clarius patebit.

CAPUT III.

In quo terminus connexionis explicatur.

§. I.

Restat, ut dicamus, quid per vocem *connexionis*, quam inter fidem & actiones hominis reperiri asseruimus, intelligamus, & qualis ille nexus sit, qui fidem & actiones tam arte inter se connectit & constringit.

§. 2.

Variis vero modis res inter se connexas esse quilibet etiam nobis tacentibus facile intelliget. Nos hic saltim eos connexionum modos commemorabimus, qui ad institutum nostrum propius accedunt, ita ut rejectis illis, qui huc non quadrant, illum modum, qui hujus loci est, quemque nos defendimus, eligamus atque ponamus.

§. 3.

Primo datur connexio rerum improprie sic dicta, quæ non tam

con-



connexionis quam conjunctionis nomine insigniri debet, ubi nimirum alterum conjunctionis extremum non est Causa alterius extremi, neque physica neque moralis & occasionalis, sive ubi unum non necessario alterum post se trahit, nec in sua essentia alterum includit. Sic sæpius illi, qui imperandi potestatem in nos habent, nobis duas vel tres actiones ordine suscipiendas præcipiunt, quarum tamen nulla necessitate intrinseca alteram post se trahit, neque etiam ad alteram nos incitat & invitat, sed quæ suscipiendæ nobis veniunt ob voluntatem Imperantis. Posses hanc connexionem, *connexionem mandati*, & necessitatem, quæ illi inest, necessitatem *obligationis* vocare. Ita summus legislator, qui nobis vetavit adulterium, vetavit etiam furtum; ubi intermissio adulterii non ratione suæ naturæ intermissionem furti in se includit atque necessitat. Hæc connexio, quæ tantum mera rerum duarum est *conjunctio*, non est hujus loci; inter fidem enim & actionem hominis longe arctior, ut mox audiemus, connexio intercedit.

§. 4.

Deinde quædam ita sunt connexa, ut eorum unum extremum, licet non ut Causa physica alterum necessitate naturali post se tanquam suum Effectum trahat, tamen alterius, ut illud sit, utque fiat, imo ut operetur, sit occasio & invitatio, h. e. ut alterum ab altero ad agendum incitetur & pelliciatur. e. g. Patris furtum post se trahit furtum filii, qui Patrem suum imitatur. Filius non vi cogitur Patrem imitari, Patris tamen furtum est occasio, qua filius ad imitationem instigatur, quaque occasione absente, furtum filii non fuisset insecutum, data vero ejusmodi occasione, filius pro libertate sua male ratiocinatur, quæ ratiocinatio quidem est contingens, post se tamen trahit imitationem Parentis. Connexionem hanc appellare possumus *occasionalen*, imo *moralen*, quoties nimirum actio moraliter mala vel bona, aut homo moraliter vel bene vel male agens, vel exemplo vel monito, svasu, silentio aut alia ratione Causa est, ut alius etiam moraliter vel bene vel male agat; hinc etiam ejusmodi Causa à Philosophis *moralis* dici consuevit. Hac quoque ratione Intellectus & omnes ejus veritates, sive formaliter, sive virtualiter sint practicæ, & sive sint Objectum fidei, sive scientiæ & opinionis, dum homini actionem vel omitendam vel suscipiendam svadent, ipsique bonum & malum suum representant, in quantum & quamdiu pro solo Voluntatis *consiliario* ha-

ben-



bentur, sunt tantum Causa moralis actionum, quæ in Voluntate sequuntur. Sed nec hæc connexio est illa, qua nos fidem & actiones connecti statuimus.

§. 5.

Postremo autem multa ita sunt connexa, ut unum extremum alterum necessario includat & post se trahat, h. e. ut posito uno extremorum tanquam Antecedente & Causa, alterum non possit non poni & necessario sequi tanquam Consequens, propterea, quoniam in illis est insolubilis & necessarius nexus, qualis est inter Causam & Effectum. Necessitas, quæ ejusmodi actioni inest, à Philosophis appellari solet *physica*, de qua re libellos *Metaphysicos* & *Lexica Philosophica*, imprimis Chauvini atque Dorschei consuli posse dicerem, nisi hæc in vulgus nota essent.

§. 6.

Antecedens illud, quod ponitur & supponitur, vel eodem modo est *necessarium*, quo ejus *Consequens*, vel *tantum contingens* est. Quotiescunque duo ita sunt connexa, ut tam Antecedens quam Consequens sit necessarium, ista necessitas solet *physica* & *consequentis* appellari. e. g. His diebus pluvia verna re vera segetis salus fuit, *physica* necessitate; at eadem necessitate, quâ incrementum segetis effectum fuit, ipsa etiam pluvia per *Causas* suas naturales, natura ita necessitante, fuit producta, h. e. Antecedens & Consequens fuit necessarium, salus segetis perinde ac pluvia. Quando vero Antecedens quidem non est necessarium, sed contingens, posito autem Antecedente, non potest non eadem necessitate poni Consequens; ista quidem necessitas hætenus *hypothetica* & *consequentia* appellata, atque *physicæ* necessitati contra distincta fuit; putarem tamen necessitatem *physicam* in duas species, in necessitatem nimirum *physicam primi* & *secundi ordinis* dispesci, eamque necessitatem, quæ *consequentia* & *hypothetica* audit, etiam *physicam*, sed *secundi ordinis* appellari posse. Sic creatio hujus universi fuit contingens; Deus enim non ex se, necessitate naturæ necessario produxit mundum, ita ut ejus causa per emanationem esset, quæ sententia ad *Spinosismum*, & unicam *Spinosæ* substantiam necessario ducit; posito tamen hoc Antecedente, quamvis contingente, creatione nimirum mundi liberâ & legibus naturæ, non possunt non *impræsentiarum* omnes illi Effectus sequi, quos naturales atque neces-

C

sarios



farios dicimus. Ita contingens est, hominem esse mancipium voluptatis, & totum quantum oblectationibus deditum carnalibus; posito tamen hoc Antecedente, non potest non necessitate physica, sed secundi ordinis poni Consequens, nimirum ejusmodi hominis ignavia; mera enim voluptas à doloribus & *laboribus* toto animo abhorret. Inter ejusmodi Antecedentia contingentia referri etiam possunt omnia mentis nostræ judicia & ratiocinia practica (sive illa ad Intellectum, sive cum Cartesianis ad Voluntatem trahere velis) h. e. omnes propositiones & ratiocinationes practicæ, quæ vel fidei vel scientiæ sunt Objectum. In se sunt contingentes; positis autem illis, non possunt non poni necessitate naturali variæ Voluntatis commotiones, affectiones, actiones internæ & externæ. Sic fides humana est contingens, contingit hominem credere & fidem alteri habere; posita tamen fide, quæ Propositiones practicas pro Objecto habet, necessario ponitur Consequens, commotio atque actio voluntatis. Apparet itaque ex his, quæ diximus nos connexionem inter fidem hominis & actiones ejus statuere necessariam, & quidem *necessitate hypothetica, consequentiæ*, & si ita appellari licet, *necessitate physica secundi ordinis*, quod nunc in posteriori parte Dissertationis nostræ erit demonstrandum.

P A R S II.

In qua sententia nostra probatur tot argumentis, quot capitibus.

C A P. I.

§. I.

INter fidem & ejus actiones nexum esse necessarium, necessitate hypothetica, consequentiæ, & physica secundi ordinis, ita ut impossibile sit actionem non sequi, probamus primo ex eo, quod homo, ut supra diximus, non habeat libertatem vel appetendi vel averfandi circa bonum & malum in genere, & circa bonum ut bonum, & circa malum ut malum h. e. pro bono & malo suo agnitum & reputatum. *Bonum enim ut bonum judicatum non potest non appetere, & malum ut malum non potest non fugere & averfari.* Res probatione non indiget, est enim

Canon



Canon philosophicus, & unum ex primis Principiis moralibus; *homo non potest appetere malum quâ malum*. e. g. Pater cum filio in expeditione bellica, hostibus in fugam coniectis, relicta ingressus castra, inter alia magnam vini copiam offendit, monet autem serio filium, ne de vino relicto bibat, se enim certo ex transfuga cognovisse, hostes vinum veneno infecisse. Pater repræsentat filio mortem ut malum, tanquam medium mortem certo post se tradurum; Sane quamdiu filius verbis Patris sui fidem habet, impossibile est ut bibat, atque bibitionem non intermittat.

§. 2.

Nullius momenti est Obiectio, qua nonnulli excipiunt, Intellectum credentem esse *consiliarium*, repræsentare homini quidem bonum & malum, hominem tamen posse contra fidem & scientiam Intellectus agere & bonum averfari n. b. *sub ratione mali*, & malum repræsentatum appetere *sub ratione boni*. Respondeo enim concedendo quidem, quod homo utique malum sub ratione boni possit appetere; sed quæro, quoties homo appetit malum sub ratione boni, quis est ille, qui affert & excogitat illi rationem, quâ malum non malum sed bonum esse demonstratur? certe Intellectus, isque vel excecatus, vel aliter instructus. Quodsi vero rationem illam affert Intellectus, non est idem Intellectus cum priore, nec amplius Voluntati repræsentat malum *fugiendum*, sed bonum *appetendum*, & quod antea ut malum, nunc ut bonum exhibet, adeoque res eodem recidet, & homo eadem necessitate, mutato nunc Intellectu, appetit repræsentatum bonum, quâ antea averfabatur repræsentatum malum; & quodsi prior Intellectus fuit credens verbis alterius, nunc accedente nova ratione, quâ Intellectus malum non amplius ut malum, sed ut bonum aspicit, ex Intellectu credente fit Intellectus non credens, h. e. ille, qui nunc malum ut bonum appetit, non amplius credit verbis illius, qui rem ut malum repræsentabat. e. g. in supra allato exemplo, quo Pater ad filium dicebat: *noli bibere, morieris si biberis, venenum in poculo est, fac filium nihilominus bibere*; impossibile est, eum hoc facere posse, stante illius fide; simulac bibit, credere Patri definit. Aut enim non credet, quod hostes venenum miscuerint, aut non credet, quod mors bibitionem sit infecutura, aut non credet, quod mors sit malum, sed mortem sub ratione boni & ut bonum eliget, militiæ forte & totius vitæ pertæsus;



imo ne quidem ob *αὐτοχρησίαν* à morte æterna abhorrebit, si Atheus esse fingatur. Nam etiam simulac mortem pro bono habet, non amplius credit Parenti. Profecto, dum Pater dixit: noli bibere, mortem tibi accelerabis, mortem ipsi non ut bonum repræsentavit eligendum, sed ut malum fugiendum. Verba enim Patris in formam Syllogismi redacta hæc erant: Omne malum, sive ut finis, sive ut medium spectetur, est fugiendum; mors & bibitio vini sunt mala, quorum alterum rationem finis, alterum rationem medii habet; Ergo mors & bibitio vini tibi sint fugienda. Filius bibens negavit minorem Propositionem, adeoque non fidem habuit Patri.

§. 3.

Eadem infirmitate laborat exceptio illa, quando quidam dicunt; hominem appetere malum morale ab Intellectu repræsentatam, non quidem ut malum, sed sub ratione boni *jucundi*. Si enim sub ratione boni jucundi homo illud appetit, ista ratio à jucunditate, quæ cum actione mali moralis est conjuncta, petita, est *medius terminus*, seu Principium, ex quo conclusio practica deducitur; *Ergo hac actio jam est suscipienda, (quia jucunda.)* Etenim homo creatura rationalis est, quicquid agit, libere ex ratione agit, sive vera sive falsa. Brutorum est rapi mechanice ad Objecta sine intercedente ratiocinio, actionem syadente vel dissvadente. Quodsi autem homo *jucunditatem* actionis moraliter malæ fundamentum constituat atque Principium istius actionis suscipiendæ & patrandæ; Intellectus non amplius est idem, sed jam mutatus, ita ut huc ea omnia referre possimus, quæ diximus paragrapho præcedente. Qui enim verus Intellectus & bonus consiliarius antea malum morale e. g. adulterium disvasit & repræsentavit ut malum, nunc falsus Intellectus, & malus consiliarius ob jucunditatem illud repræsentat ut bonum, & ob id perpetrandum. Instruamus paulo aliter simile illud, quod supra à Patre & filio desumptum attulimus. Parens filium à libidine vaga abstracturus, si scortari perrexeris, inquit, hæres meorum bonorum esse nequis, certo te exhæredabo; viæ quoque tuæ me non latebunt. Quamdiu filius Patri credit, impossibile est, ut libere scortetur; namque Pater repræsentat ipsi exhæredationem ut malum; aut, ut clarius rem proponam, Pater dicit ad filium: *exhæredatio est magnum malum, & malum scortationis, si illud non fugeris, exhæredationis malum certo post se trahes.* Jam vero
malum

malum ut malum homo non potest appetere. Fac tamen filium jucunditate sceleris, vel alia ratione nihilominus pellici & ad scortandum moveri; simulac scortari pergit, non credit ulterius Parenti. Aut enim non credit, quod Pater in sua sententia sit p^{er}stiturus, aut non credit, quod exhæredatio sit magnum malum, & tantum, pro quo Pater vult haberi, aut non credit suam scortationem à Patre detectum iri. Imo quod si etiam non alia ratio, nisi jucunditas sceleris eum ad scortandum permoveat atque scortandum esse ipsi dicitur, eo ipso etiam non credit Patri. Quando enim Pater scortationem ipsi repræsentabat ut malum, post se trahens exhæredationem, optime sciebat, hoc malum morale, nimirum scortationem, esse bonum jucundum, cumque nihilominus ipsi ut malum repræsentaret, exhæredationem post se tracturum, tacite & virtualiter Pater non alia nisi sequente ratione argumentatus dici potest: Nullum vitium morale, quamvis jucundum, quod exhæredationem post se trahit, est committendum; scortatio, quamvis jucunda, est ejusmodi malum; Ergo tibi non est committenda. Filius vero, simulac ex ratione jucunditatis scortatur, fidem denegabit vel majori Propositioni, vel minori, vel utrique.

§. 4.

Deinde falsissimum esse puto, & omni repugnare experientia, hominem interdum sola jucunditatis ratione, quæ actioni vitiosæ inest, ad agendum permoveri. Cum enim homo creatus sit ob felicitatem temporalem & æternam, instinctuque naturali ad felicitatem suam feratur; atque, ut supra diximus, circa malum in genere, adeoque nec circa temporale nec circa æternum habeat libertatem, ita ut perinde ipsi sit appetere illud aut odisse; aut, si ob bonum jucundum præiens, felicitatem suam temporalem, eamque futuram flocci pendeat, minimum æternæ suæ felicitati, si existentiam & excellentiam illius credat, renunciare nequeat; certe malum non tantum sub ratione boni jucundi, sed sub ratione rei licitæ, & non statim infelicitatem temporalem, morbum, mortem, multo minus æternum malum post se tracturæ appetat necesse est. Dic gula & luxuriæ dedito, eum quotidiana comotatione vini que immodica ingurgitatione sibi brevi tempore conciliaturum morbos, ignominiam, paupertatem, ipsamque mortem, & quod majus, se in æternæ damnationis barathrum præcipitaturum; quod si in vitio perget, profecto non sola jucunditatis ratio, eum in



transversum rapiet, verum, ut eo tutius peccet, & malum repræsentatum non ut malum appetat, verbis tuis fidem non habebit, negabitque influxum vitæ suæ inordinatæ in temporalem atque in æternam infelicitatem, quam tu ut certo futuram ipsi repræsentasti. Exemplum tibi objiciet in contrarium maximorum helluonum, qui vitam in Nestorios annos profaxerint, & qui ante mortem resipuerint, ita ut etiam æternam evaserint damnationem, & ex his omnibus deducet sibi gratam conclusionem: Ergo licet jam strenue bibere & in crapulis quotidie pergere.

§. 5.

Ita rem se habere existimo in omni peccante & homine vitioso, qui leges sive humanas sive divinas transgreditur, ipsi omnia mala hujus & futuri seculi pœnæ loco interminantes. Penes ipsum est, auxilio tamen divino vires largiente, vel credere vel non credere. Si credit legi ejusque comminationibus, non potest peccare; si non credit, necessario peccat; & simulac peccat ac leges transgreditur, impossibile est, ut recte credat. Aut enim negabit finem aut media, h. e. aut negabit pœnam temporalem aut æternam, ejus Existentiam, gravitatem, æternitatem; aut, si hæc credat, negabit influxum vitii sui in malum temporale atque æternum; & ut influxum negare posse jure videatur, negabit vel vitii Existentiam & Essentiam, non concedendo suam actionem esse illam vitiosam actionem, quam lex interdicit; aut negabit se esse auctorem vitii, culpam vel in consuetudinem, vel in Parentes, vel in prava sodalitia, vel in malum genium, imo quod horrendum, quod tamen fieri solet, in ipsum Deum transferendo; aut negabit vitii magnitudinem; aut, si circa hæc omnia recte senserit, sub spe veniæ & futuræ & adhuc tempestivæ pœnitentiæ peccabit, atque ex his omnibus conclusionem falsissimam atque incredulitate plenam deducet: si hæc omnia ita se habent, sequitur, quod tuto & sine metu tuo indulgere possis genio.

§. 6.

Quod si h. l. non rationibus & experientia, sed auctoritatibus judicandum esset, contrarios haberemus incomparabiles Philosophos pariter ac Jurisconsultos, qui passim in suis scriptis antiquum illud, quod modo refutavimus, adstruere videntur. Cum enim asserant, vitiosos homines non semper secundum sua Principia, sed secundum
suas

suas

suas passiones, ut loqui amant, vivere, perinde est, ac si dixissent, vitio-
 fos homines sola jucunditatis ratione permotos ad scelera abripi. Sed
 ut ut facile possimus quemlibet in hisce rebus subtilibus finire suo ab-
 undare sensu & nisi sua sententia atque experientia; liceat tamen hic
 ad diligens cujusvis Scrutinium sui ipsius provocare, qui certe, sibi
 ipsi accuratius attendens, rem aliter se habere deprehendet, nobis-
 que facile concedet, vitiosos, etiam quando secundum passiones suas
 vivunt, vivere & agere secundum sua Principia, non quidem secun-
 dum illa sana & bona, quæ instar freni inordinatis suis cupiditatibus
 objecerunt, sed secundum sua corrupta, falsa & nova Principia, quæ
 prioribus Principiis sublatis, simulac ad actionem vitiosam suscipien-
 dam se convertunt, substituunt, & quibus priora Principia aut pror-
 sus tollunt, aut ita restringunt, ut non tam contra illa sana, quam se-
 cundum nova & falsa Principia egisse sint dicendi. e. g. Medicus ægro-
 to, quem sanitati restituit, præscribit diætam & vitæ regulam, instar
 Principii inculcat, ipsi, ut homini calidissimæ complexionis, & omne
 vinum & omne adustum in integrum cane pejus & angve esse fugien-
 dum; recidivam phthiseos esse certissimam & vitæ periculum præsen-
 tissimum, si secus sit facturus. Sanatus verbis Medici fidem habet,
 assensum præbet sane firmissimum, consilium suppeditatum ut arca-
 num & regulam, & ut normam actionum suarum constituit; nihilo-
 minus data occasione, consilio hoc susque deque habito, bibit vinum
 & etiam aquas, quas vocant vitæ. Quæritur, an tum contra suum
 Principium & consilium à Medico suppeditatum ita egerit, ut nihil in
 eo mutaret, sed tantum secundum suam passionem & inordinatum ap-
 petitum ageret? Respondeo, concedendo quidem, quod egerit se-
 cundum suam passionem, non tamen contra sua Principia. Illa enim
 Principia, contra quæ egisse dicitur, tunc non erant ulterius sua, imo
 plane non erant amplius, ita ut dicere, eum contra illa egisse, sit con-
 tradictio in adjecto. In locum enim priorum & à Medico suppedita-
 torum Principiorum alia & nova substituit prioribus rejectis, vel li-
 mitatis & restrictis. Dum nihilominus bibit vinum, in hunc ferme
 modum secum ratiocinatur: quid mihi cum Medico, Medicorum,
 verba non sunt oracula, ipse non bibit adustum, hinc omnibus suis,
 ægrotis vult interdicare; & fac vera esse, quæ dixit, una hirundo non,
 facit ver; modice & interdum sumptum non nocebit, casus extra-
 ordina-

ordina-



ordinarius est, qui hodie accidit, à regula eximendus; & posito me
recidivam phthiſeos paſſurum, ſi ſemel poſſibile fuit liberari ab illa,
etiam ſecunda vice poſſibile erit. Redige hæc aliaque ejus cogitata
in formam Syllogiſmi, & apparebit, eum non fovere & tenere illa pri-
ora Principia, abſolute antea & univerſaliter conceſſa, ſed alias vi-
vendi regulas in locum eorum ſubſtituiſſe.

C A P U T II.

§. I.

Secundo aſſertionem noſtram, quod nimirum inter fidem & actio-
nes Voluntatis ſit neceſſarius nexus, & quidem neceſſitate hypo-
theticâ, conſequentiæ & phyſicâ ſecundi ordinis, probamus ex eo,
quoniam, ſi contrarium verum eſſet, fidem nempe, ſeu Intellectum
credentem eſſe tantum Voluntatis conſiliarium, ſequeretur, Volun-
tatem poſſe eſſe vitioſam, ſine vitioſo Intellectu, h. e. ſine erroribus &
ignorantia Intellectus, quod tamen falſum & abſurdiſſimum eſſe in-
victis rationibus demonſtrari poteſt, quod etiam in ſequentibus erit
demonſtrandum. De Majori enim nemo certe dubitabit, ita ut ejus
probatione non ſit opus.

§. 2.

Quod autem ad Minorem attinet, Voluntatem nimirum nunquam
eſſe vitioſam, nec ullum peccatum in Voluntate reperiri, quod non
ignorantia, errore, præjudicio, vel alio vitio Intellectus nitatur, ſe-
quentibus argumentis evinci perquam facile poterit. Primo Philo-
ſophi pariter atque Theologi ſaniores unanimi conſenſu ſtatuant, om-
nem emendationem Voluntatis & hominis vitioſi inchoandam eſſe,
imo à Deo ipſo inchoari ab Intellectu. Quodſi vero emendatio ab In-
tellectu incipienda, Intellectus ſit excœcatus, ignorans, errans, neces-
ſe eſt, alioquin emendatione non indigeret. Neque hoc de non nul-
lis tantum vitioſis, ſed de omnibus peccatoribus univerſaliter affir-
mant, illuminandum ante omnia eſſe Intellectum, ſi emendatio Vo-
luntatis ſequi debeat, ita ut illi, qui Intellectum tantum conſiliarium
Voluntatis faciunt, in eo ſecum ipſi pugnent; nam Intellectum tan-
tum eſſe conſiliarium, & tamen prius emendandum, quam Voluntas
corrigi queat, ſunt ἀντιπαρά, quæ ſe mutuo tollunt.

§. 3.

Porro Philoſophi, quotieſcunque de Cauſis impietatis & vitiorum
agunt

agunt, inter illas etiam numerant, quod vitiosi sint vitiosi, quoniam magnitudinem vitii & sceleris sui non agnoscunt; si vero magnitudinem vitii non agnoscunt, oportet eos male judicare de magnitudine sceleris, & e. g. de scortatione hunc in modum ratiocinari: *scortatio est peccatum parvum, ergo est committendum.*

§. 4.

Deinde, qui vitiosi sunt, recte arguuntur Deum non timere; si Deum non timent, iram ejus non metuunt, nec poenas cum ira Dei connexas. Quod si iram Dei non metuunt, iram Dei non pro malo, nec pro suo malo habent; oportet ergo eos comminationibus Dei & legibus Ejus non credere: dum vero non credant Deo, Ejusque comminationibus, incredulitate & errore Intellectus eorum erit repletus.

§. 5.

Huc referri potest, quod Scriptura sacra, imprimis Regum sapientissimus Salomo homines impios & stolidos pro Synonymis venditet, quod non opus est locis adjectis probare. Jam vero stultum esse, stolide agere atque recte judicare ac ratiocinari eo tempore, quo stolide agimus, sunt contradictoria, ita ut stultitia sine omni Intellectus morbo concipi nequeat.

§. 6.

Adde & hoc, quod Scriptores sacri sæpissime lucem, qua veritates significant, cum sanctimonia, tenebras vero, quibus vitia Intellectus & errores adumbrant, cum impietate arctissime connectere, ita, ut maxime probabile sit, illos inter errores & vitia, atque inter veritates & virtutes nexum naturalem, qualis inter Causam & Effectum reperitur, statuuisse. Evolve si placet Ps. LVIII. 4. Eccl. II. 14. Act. XXVI. 18. Tit. I. 16. I. Joh. II. 9. & 11. Ebr. V. 2. Apoc. III. 17. Et imprimis I. Corinth. II. 8. *Si Principes Judæorum sapientiam Dei in mysterio cognovissent, hautquaquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Act. XIII. 27. *Qui habitant Hierosolymis, & Principes eorum, quum ignorarent Jllum (Jesum,) & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbathum leguntur, condemnantes Eum, impleverunt* (sc. voces Prophetarum). Luc. XIX. 42. *Si nosset & tu, & quidem in die isto tuo, quæ ad pacem tuam faciunt; jam vero absconditum est ab oculis tuis.* Joh. IV, 10. *Si scires donum Dei (inquit Salvator noster ad mulierem Samaritanam,) & quis sit, qui dicit tibi; da mihi quod bibam, tu petiisses ab eo, ut daret tibi aquam viventem.*

D

§. 7.



§. 7.

Imo, quod magis est, Scriptores sacri omnia vitia & iniquitatem derivant ex incredulitate, tanquam communi malorum fonte, & quidem non tantum ex diffidentia, quâ impii contriti fiduciam in Salvatore collocare nolunt, sed ex ea incredulitate, qua homines securi verbo Dei, divinis veritatibus, legibus & comminationibus non credunt; jam vero incredulitas est maximus Intellectus morbus.

§. 8.

Denique homo est creatura rationalis, & quicquid libere agit, sine necessitate physica cogente, ex ratione agit. Illa ratio vero, quæ hominem ad peccandum movet, nunquam potest esse vera ratio, ergo semper est falsa; falsa autem ratio est error & ignorantia. Patet hoc ex omnibus præjudiciis, quibus impii laborant, & quæ sunt causa illorum impietatis, imo ex omnibus excusationibus & prætextibus, quibus semper, antequam peccant, suam impietatem palliare student, quo secure illam exercere possint, quæ præjudicia, cum in vulgus nota, adducere non est opus. Reducas autem præjudicia & excusationes ejusmodi in formam Syllogismi, certe errantem eorum & male ratiocinantem Intellectum manibus poteris palpare.

§. 9.

Novi, quid illi objiciant, qui contrarium sentiunt, h. e, qui Intellectum pro mero consiliario Voluntatis habent, eundemque oculatissimum, & omnibus veritatibus instructissimum esse putant, ita tamen, ut Voluntas ejusmodi hominis sit vitiosa, salvo intactoque manente lumine Intellectus. Sed argumenta eorum levis ponderis facile refelli possunt. Provocant plenis faucibus ad peccata contra conscientiam; ea à scientia nomen esse sortita asserentes, quoniam qui ea committit, contra scientiam & omne dictamen, lumen & veritatem Intellectus agat. Sed profecto, hi minus recte perspiciunt naturam peccati contra conscientiam. Ad ejus enim essentiam saltim hoc requiritur, ut peccans vel hoc tantum sciat, esse peccatum, quod in animo committere habet, vel paulo ante probe hoc sciverit; non autem ad essentiam peccati contra conscientiam requiritur, ut peccans eo ipso momento, quo peccat, adhuc credat esse peccatum, neque ut animus peccantis ab omni prorsus errore, & falso ratiocinio sit liber. e.g. Fur, qui in eo est, ut furtum committat, ambabus manibus tibi largietur, furtum

tura

tum esse peccatum; at vero, dum in eo est, ut committat, paupertatem suam causatur, sibi que blanditur, se hanc ob rationem iram Dei non esse incursum, adeoque jam errorem cum scientia habet conjunctum, & sequenti ratione, ut ut falsa, argumentatur: *Si summa paupertate premor, sequitur, quod mihi liceat peccatum furti committere.* Ita protoplasti paulo ante lapsum possidebant scientiam, veritatem & lumen Intellectus, ut eorum lapsus jure peccatum contra conscientiam rectam dici mereatur; statuebant enim se morituros, si comederent. Verum cum certissimum, clarissimumque sit, eos diabolo credidisse, & a diabolo seductos fuisse, invicte sequitur, eo momento, quo peccarunt, non amplius credidisse, quod antea credebant, sed potius primam mulierem, in ipso actu peccandi statuisse, se Deo similem fore, se non esse morituram, quod tamen error erat crassissimus. Falsissimum ergo est, quod celeberrimus *D. Neumannus in sua Dissertat. de Illuminatione Cap. 4.* asserit: *primos Parentes INTELLECTU meliora vidisse, sed per VOLUNTATEM deteriora esse secutos,* n. b. si magnus hic Theologus hoc de momento peccandi accipi cupit. Nam simulac prima Mater peccabat, & deteriora videbat & deteriora sequebatur. Diabolo enim credere, & ab aliquo seduci, sine errore Intellectus concipi nequit. Quo ipso etiam ad illud ἀποθρύλλιστον Medæ una opera responderi potest, sc. homines cum sequuntur deteriora, eo momento, quo sequuntur, non ulterius videre meliora atque probare, sed priores Intellectus veritates & lumina exstinxisse, atque errorum tenebras in locum eorundem substituisse.

§. 10.

Nec est, quod quisquam exemplum Phariseorum nobis in contrarium objiciat, qui superbi & maxime impii fuerint, licet veritates fidei fundamentales Intellectu sartas intactasque servarent, ita ut etiam Salvator eos de cathedra docentes nos jusserit audire, illisque credere. Negamus enim præsuppositum, cum ex Historia Evangelica & Ecclesiastica quam notissimum sit, illos gravissime in multis Religionis capitibus, imprimis circa sensum legis divinæ errasse. Damnabilis & maxime noxius error erat, quo statuebant, Deum in lege sua externam tantum obedientiam requirere, qui error fœcunda multorum aliorum errorum Mater fuit, quos juste ipsis imputare possumus. Nam si verum est, Deum non nisi externam in lege obedientiam po-



scere, etiam verum erit, quod *concupiscentiæ sine consensu, seu motus secundum non sint peccatum, quod peccatum originis sit signum. quod superbia, avaritia & voluptas non sint vitia mortalia atque damnantia, quod præcepta Dei viribus naturalibus servata sint possibile, quod homines per legem salventur, quod bona opera sint meritoria, quod ad virtutis exercitium Xp̄i & assistentia Dei non sit necessaria*; quæ omnia vel publice docebant, vel ex primo illo errore tanquam scaturigine pleno alveo promanabant; ut taceam, quod regnum Messiae fore temporale, Salvatoremque nostrum impostorem esse, sibi persuasissimum haberent. Ipse Redemptor noster istos cæcos & cæcorum duces vocare non est veritus, ostenditque *NON NULLAS & PAUCULAS* quasdam veritates non sufficere, ut quis divina luce collustratus & videns appellari queat, sed veritates omnes easque necessarias requiri, quæ nexu suo arctissimo & legitimâ consequentiâ totam Voluntatem emendant. Nos à Christo iustos esse Phariseos audire ex cathedra Mosis docentes, non nego; hoc vero Salvator aliter intelligere non potuit, nisi tacita conditione, si nimirum & in quantum illi verbum Dei publice & in conventibus prælegerent, & si quid forte explicationis loco adderent, in quantum interpretatio sensui divino esset conformis. Quam tacitam conditionem & hodiernum subintelligimus, quoties in communi vita doctrinam Ministri verbi Dei, non vero exemplum & vitam sequenda esse dicimus. Error autem eorum maximus & omnibus diris devovendus, ille erat, quo putabant, & toto corde, licet falsò, credebant, Salvatorem nostrum miracula ope diaboli, non vero ope Spiritus sancti perpetrare atque dæmonia ejicere, in quo ipsa essentia peccati in Spiritum sanctum consistebat, uti ex loco classico Marc. III. & imprimis versu 30. patet. Non enim in speciem tantum & saltem ore calumniabantur Christum, intus in animo meliora edocti, siquidem hoc expresso repugnant verbo: *dicebant apud se ipsos, ejicit dæmonia per Beelzebub.* Neque Christus operæ pretium duxisset, eos tot argumentis refutare atque demonstrare, se per Spiritum sanctum dæmonia ejicere, si, quod multi ex simplicitate asserunt, *agnitam habuissent veritatem*, credidissentque, Salvatorem esse filium Dei & verum Messiam. Hæc, quæ diximus, ita sunt comparata, ut his ipsis etiam illis obvium ire possimus, qui ex natura peccati in Spiritum Dei vitiositatem Voluntatis sine vitio Intellectus contra nos evincere conantur. Namque veritatem agni-

agni-

agnitam in sensu reduplicativo, eodem tempore, quo eam agnosco, nemo potest negare, multo minus blasphemare. Statuere solem in centro hujus universi quiescere, & simul serio statuere, eum non quiescere, non cadit in hominem, quia est contradictorium, & peccat in primum Principium: Impossibile est, idem simul esse & non esse, (simul, & eodem momento, eodemque respectu, & eandem rem affirmare & negare.)

§. II.

Et hæc, quæ ad exemplum Phariseorum, seu ad instantiam ab illis desumptam regressimus, etiam responsionis loco inservire possunt illis, qui verbi divini Ministrum impium, & tamen vera docentem, nostræ sententiæ adversari putant. Aut enim impius Minister ipse non credit, quæ publice docet, aut circa sua vitia & peccata quæ committit, non recte judicat, sed verbo Dei contraria sentit. Concedimus insuper multos *voluntatem Domini scire*, eam tamen minus *facere*, atque hac de causa merito *duplici maerandis esse pœna*, juxta illud Salvatoris Luc. XII. 47. Sed nec hoc nostram evertet sententiam. Primi Parentes brevi ante lapsum sciebant voluntatem Dei ratione arboris vetitæ, illique credebant, exinde tamen non sequitur, illos in ipso actu peccandi eam adhuc ita scivisse, ut Deo crediderint; sic enim non credidissent diabolo. Vide quæ supra de peccato contra conscientiam §. 9. disseruimus. Deinde gentiles Intellectu sciverunt esse Deum, nec tamen glorificaverunt Eum Voluntate. Negari hoc nequit, Pauli enim judicium est, quod de ipsis tulit. Ast hæc unica veritas, *esse Deum*, ad hominis emendationem & virtutis exercitium non sufficit, sed & aliæ requiruntur veritates, quæ ex illa prima facile deduci possunt, ita ut homo sit ἀναπολόγητος si ejusmodi deductionem non instituat. Hoc autem non fecerunt gentiles, sed gravissimos errores cum illa veritate: *Deus est*, conjunxerunt. Quod si enim ne minimus quidem error in Intellectu eorum superfuisset, quid quæso sibi volunt verba immediate Rom. I. 21. sequentia; *stulti facti sunt in suis ratiocinationibus, & cor ipsorum insci-um est obtenebratum*. Egregiam, si Diis placet, veritatem & scientiam, ubi cor obtenebratum est, & homines stulti facti sunt!

C A P U T III.

PAULO prolixius secundum argumentum fuit, tertium tanto brevius erit, & forsitan etiam minoris ponderis. Solent equidem Oratores



atque Philosophi argumenta debilia & invalida primo loco collocare, nos tamen inverso ordine ea, quæ majoris roboris esse videbantur, infirmioribus, quæ nunc sequuntur, præponere volumus. Dubii nempe de temporis atque chartæ spatio, atque veriti, ne materia, quam pertractamus, Dissertationis justos excederet limites, ea ante omnia in aciem eduximus, quæ plurimum habere virium credebantur, de reliquis copiis parum aut nihil solliciti. Quorsum referimus argumentum præsens à praxi desumptum vulgi, imo honestiorum hominum, qui tantum non quotidie in suis sermonibus ita se gerunt, ut clare appareat, eos nexum *naturalem & necessarium* inter fidem hominis & actiones ejus tanquam rem certissimam & indubiam fundamenti loco substernere. Postulant ab altero, cum quo ipsis res est, in communibus sermonibus fidem, postulant Propositionibus suis practicis, consiliis, præceptis, interdictis mediante fide actiones, quas alteri vel ut malum fugiendum, vel ut bonum sequendum exhibent. Et tamen, quod mireris, quando ille, cum quo ipsis res est, eis morem non gessit, nec egit, quod agere jussus fuerat, atque actione sua sibi malum haut leve attraxit, ipsi non exprobant inobedientiam, nec vitiosam & temerariam actionem, sed incredulitatem & defectum fidei, quod ipsis credere noluerit. Admodum nuper, quod ipse præsens audivi, quidam visitabat amicum suum ardente feбри gravissime decumbentem, quam sudore atque æstu plenus potu frigido sibi acceleraverat, omnibus hujus amici monitis & comminationibus neglectis. Vix ad lectum ægrotantis accesserat, cum, vide inquit, *nonne tibi monitor fui, noluisti mihi CREDERE, tu tibi soli sapias, nos nihil intelligimus.* Profecto non poterat hic incredulitatem ægrotanti exprobare, nisi quia statuebat, eum, si credidisset, frigida portione non fuisse usurum. Neque dici potest, quod vulgus ita loquatur, eo quod homines consilia Intellectus sæpissime libere sequantur; ita enim rem intelligere non possunt, quia *nimirum* alteri insultant, eò quod non *crediderit*, & quia non credibile est, eos illud tantopere usurum, in quo statim & facillime refelli atque confundi possint; ejusmodi enim homo, cui incredulitas exprobratur, è vestigio excipere posset atque dicere: *quid mihi cum fide? verbis tuis quidem fidem habui, sed nolui secundum illa agere,*

CAPUT IV.

§. I.

NEquè mirum, quod homines in communi vita atque praxi connectionem hanc arctissimam, quam defendimus, supponant, experientia enim edocti hoc faciunt. Ea enim unumquemque hoc docere potest, si ad seipsum, ad fidem, qua verbis alterius credit, & ad actiones, quæ inde fluunt, attendere velit; quod quartum pro adstruenda nostra sententia est argumentum. Maneamus modo in exemplo à Patre & filio jam aliquoties desumpto, quod valde commodum, & ad totam rem illustrandam valde idoneum, quodque deinde quilibet ad alios casus facile poterit applicare.

§. 2.

Finge filium Patris adhortationibus & dehortationibus, promissionibus atque comminationibus fidem habere, profecto non poterit non Parenti morem gerere, malum repræsentatum fugere, bonum repræsentatum sequi, vitamque secundum Patris voluntatem instituire. Fac eum Patris monita susque deque habuisse & leges ejus transgressum esse, vel negando voluntatem Patris, vel ejus promissionibus & comminationibus fidem non habendo; simulac ad fidem redit, certissime, ob leges Patris migratas, & malum futurum seu pœnas instantes, si vel maxime eas tantum probabiliter futuras credat, non parum angetur atque contristabitur, mox averfando pœnam proximam & Patris iram, mox detestando vitiosam actionem, quâ se Patris iræ obnoxium fecit. Porro imaginare tibi, filium benevolum Patris animum erga se ab aliis intellexisse, quo se filium in gratiam recepturum esse declaravit, si vitam emendare, & mandata Patris sollicitius imposterum custodire velit, filiumque conditionem Patris oblatam accipere, & promissionibus Parentis fidem habere; certe necessitate naturali in filio orietur spes *venie* & gratiæ, & si spes ista evadet firma, etiam *fiducia*. Et quod si omnem bonitatem, clementiam atque beneficia Patris Intellectu credente cognoverit filius, quæ à prima infantia ipsi exhibuit, & quibus eum etiam imposterum mañare decrevit, præsertim si veram beneficiorum magnitudinem perspexerit; quis est, qui amorem filii indivulso nexu cum ejusmodi fide cohasiturum in dubium vocet? Imo ejusmodi amor postea totam obedientiam post se trahet. In essentia enim amoris comprehenditur studium & desiderium voluntatem illius, quem

quem



quem amamus, faciendi. Namque dum hic amat Patrem, Patrem sibi repræsentat ut suum bonum, tam præsens quam futurum; bonum autem pro suo bono vel præsentem vel futuro judicatum, quilibet vult, appetit, amat, cupit non tantum semel, sed semper possidere. Non poterit vero de futuro & perpetuo bono gaudere & certus esse filius, si velit Patri contrarius esse & inobediens, nam sic iram Patris sibi attraheret, & hoc modo cessaret Pater *bonum* filii esse; hinc est, quod omnis, qui amat, in quantum & quamdiu amat, amato sit obediens. Pone deinceps ejusmodi filio ab aliis, qui Patrem bene norunt, Patris dignitatem, excellentiam, sapientiam, virtutes & omnes ejus perfectiones, quibus fulget, ob oculos positos fuisse, illisque filium credidisse, vel filium ipsum Patris majestatem & excellentiam sensibus vel scientia percipere (eadem enim est ratio & operandi potentia in fide, quæ est in sensibus & scientia) putasne ab ejusmodi filio admirationem, honorem, æstimum erga ejusmodi Parentem abesse posse? impossibile est, ut absint. Denique *finge tibi filium Patrem suum fide agnoscere post Deum ut summum suum opitulatorem & benefactorem in omnibus necessitatibus, filium autem multis malis premi, à quibus liberari cupit, & à quibus per Patrem liberari potest, multis itidem bonis carere, quæ Parens suppeditare facillime potest; impossibile est, ut ejusmodi fides in filio non operetur desiderium auxilii & beneficii Paterni, in quo omnis internæ orationis essentia consistit, & ut data occasione hæc interna auxilii & beneficii Paterni desideria non Patri verbis aperiat, in quo oratio oralis & externa omnis consistit, ita ut vel ex hoc simul appareat, quomodo fides non tantum cum internis, sed & externis *oris & corporis* actionibus atque cum tota obedientia cohæreat.*

CAPUT V.

§. I.

EXtremum locum occupet ab auctoritate desumptum argumentum, quod satis firmum esse ipsi Philosophi concedunt, præsertim si id, quod defendimus, multis vel plurimis, multo magis quod omnibus, omni tempore, omni que loco verum fuerit visum. Nos quidem h. l. nubem testium idem sentientium adducere non valemus, nisi forte ad Scholasticos, Thomistas, Bellarminum, aliosque paucos Philosophos provocare velimus, qui Voluntatem ejusque actiones ab Intellectu, & impri-

impri-

imprimis ultimo ejusdem judicio, eoque practico dependere volunt, quod cum nostra sententia quam maxime congruit atque cohæret. Sed unus *Lutherus* sit instar omnium, ejusque testimonium pretiosius sexcentis aliis. Ille enim perinde ac nos inter fidem divinam (eadem enim est ratio in hoc negotio fidei divinæ, quæ humanæ) & amorem nexum quendam necessarium esse statuit, dum dicit: So wenig das Feuer ohne Hitze und Rauch ist, so wenig ist der Glaube ohne Liebe. Denn wenn ich durch den Glauben erkenne, wie lieb mich Gott hat, daß Er mir zu gut, und zu meinen Heyl, seinen einigen Sohn hat vom Himmel herunter gesandt, Ihn lassen Mensch werden, und um meiner Sünden willen sterben, auf daß mir, der ich hätte müssen ewig verdammt seyn geholffen würde, und mir alles in diesem seinem Sohne geschencket habe, so daß ich mich desselben, und alles was sein ist, rühmen darf, und darf trocken und pochen wider Sünde, Tod, Teuffel, Hölle und alles Unglück; so ist's nicht möglich, ich muß Ihn wieder lieb haben, und Ihn hold seyn, seine Gebothe halten, und alles, was Er nur haben will, mit Lust und Liebe thun. In der Fest-Postill am Tage Nicolai, p. 1128. *Lutherus* dicit: impossibile esse amorem non sequi Intellectum credentem, Christumque & ejus beneficia agnoscentem. Quare vero impossibile? certe, quia homo malum non potest non averfari, & quia bonum agnitum & pro suo bono judicatum non potest non appetere atque amare. Hoc enim primo Principio, ex quo nos nostram sententiam supra probavimus, etiam *Lutherus* Majorem suam probare potuisset, si quis Majoris probationem desiderasset. In eundem modum ratiocinatur *D. Augustus Pfeifferus* in sua, quam vocat, *Schola Christiani Evangelica*, pag. 942. ubi inquit: Gleichwie bey einem erlöseten Gefangenen (dafern er nicht gar ein Unmensch ist,) wenn er siehet, daß er auf freyen Fuß gestellet, sich eine sonderliche Affection und Liebe zu seinen Wohlthäter und Patron entspinnet, also, daß er herzlich wünschet ihm wieder etwas Liebes und Gutes zu erweisen, oder ihm doch nichts zuwider zu thun, sondern gern in allen zu folgen; also entspinnet sich auch bey einem gläubigem Menschen, der Christi Verdienst ins Herze gefasset, und siehet, daß sein Glaube ihm geholffen habe, als ein unausbleiblicher Effect des Glaubens die herzliche Liebe und Gehorsam, also daß sein Glaube, ohne äußerlichen Zwang ihn treibet, alles dasjenige zu thun, was seinem Erlöser lieb und angenehm, und das zuhassen und zu-

E lassen,



lassen, was ihm zuwider ist. Si non est homo, qui Salvatorem non amat, simulac gratiam & beneficia ejus agnoscit, naturæ humanæ erit contrarium & impossibile hoc casu non amare; cur vero? nisi ob nostram rationem, quia bonum ut bonum non possumus non amare, & quia inter Intellectum credentem & bonum agnoscentem, & inter Voluntatem atque amorem boni nexus quam maxime reperitur naturalis, quamvis judicium Intellectus sit liberum.

§. 2.

Quodsi tempus & chartæ spatium permittèret, quo tanto firmitus sententiæ nostræ adderemus robur, vel majorem accenderemus lucem, hoc etiam superaddendum & paulo prolixius deducendum esset, nostram sententiam de fidei actu magis, quam habitu esse intelligendam; imo ad sequelam actionum ex fide humana requiri, ut credens, qui præceptis & interdictis, promissionibus & comminationibus alterius assensum præbet, etiam notitiam sui ipsius per actum reflexum habeat atque sciat, concedatque, quod bona sua actio sit præcise illa, quam alter præcepit, & actio sua vitiosa sit illa ipsa, quam alter vetavit, & cui tot mala interminatus est, atque, quod is sit, ad quem pertinent alterius promissiones vel comminationes. Nam, quæso, dicas avaro centies, quod avari non sint hæreditaturi coelum, facile tibi credet, & tamen non terrebitur, nec ulla commotio in Voluntate sequetur, quamdiu non concesserit, se avarum esse, suasque actiones effectus avaritiæ esse. Sed quia labor noster præter spem mole sua crevit, hæc uniuscujusque propriæ relinquimus meditationi.

COROLLARIA.

Omnis actio vitiosa supponit errorem Intellectus.

Vita & fama non pari passu ambulant.

Ex hoc postulato: datur aliquid, Dei existentia invicte potest demonstrari.

Homines non ad hanc solummodo vitam sunt creati.



Coll. diss. A. 78, misc. 28